



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Declaratur breviter, quid Incarnationis nomine significetur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

DISPUTATIO PROOEMIALIS

Contra Hæreticorum & Iudeorum errores.

PRIVSQVAM difficultates Theologicas, quæ in hoc Tractatu frequentissimæ & celeberrimæ sunt, aggrediamur, & cum Doctoribus Catholicis disputemus, hanc disputationem in ipsius limine, ut cæteris præambulam instituiamus, ut Hæreticorum & Iudeorum confutatis erroribus, fidei veritas circa Incarnationis mysterium, clarius eluceat, & firmitus stabiliatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Declaratur breviter, quid Incarnationis nomine significetur.

Incarnationis nomine significatur unio humanitatis & divinitatis in una Christi persona, licet enim humanitas ex carne componatur & spiritu, non incongruè tamen nomine carnis, assumptio humanitatis ad Verbum exprimitur. Primo, quia hoc fundamentum habet in frequenti usu Scripturæ Sacræ, in qua nomine carnis totus homo significari solet, accepta parte pro toto, ut Genes. 6. *Omnis caro corrumperat viam suam.* Id est omnis homo, pravus & corruptus erat moribus. Luca 3. *Videbit omnis caro salutare Dei:* Et ad Roman. 3. *In operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Hoc est nullus homo per solam legem Moysis, salvus fieri potest, sine Christo. Secundo, ad ostendendam veritatem Incarnationis, contra Manichæos, negantes Verbum Divinum, veram carnem assumpsisse. Tertiò, ad demonstrandam magnitudinem charitatis Dei erga homines, qui adeo se humiliavit & exinanivit, ut tam vilem & abjectam carnis naturam, ad illos redimendos assumpsit. Propter quod hoc mysterium Paulus 1. ad Timoth. 3. dicit, *Magnum esse pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Hanc rationem Theophylactus, relatus à D. Thoma in Catena aurea, his verbis expressit: Evangelista volens ostendere mirabilem Dei condescensum, carnem commemorat, ut illius admiremur misericordiam, quoniam propter nostram salutem, quod omnino remotum est, & distans ab illius natura, assumpsit, scilicet carnem, anima namque habet aliquam propinquitatem ad Deum. Quarto, sub hoc nomine, aliud mirabile insinuat; nempe Deum infirmitates nostras & imbecillitates, quæ voce carnis significari solent, assumpsisse, ut homini, qui peccando spiritum amiserat, & carnalis factus erat, Verbum caro factum, eundem spiritum restitueret, ipsamque de carnali in spirituale transformaret. Unde Apostolus ad Hebræos 5. de Christo loquens ait: *Qui in diebus carnis sue, preces, supplicationesque offerens, exauditus est.* Id est in diebus mortalitatis & passibilitatis sue. Denique, quoniam vera caro animam in se complectitur, cum carnem vivam, animatam esse necesse sit,

Tom. I F.

A iacarnationis nomine, convenienter totius humanitatis assumptio significata est. Veruntamen nomen carnis, ab aliquo in deteriorem partem sumeretur, Ecclesia quæ de Filio Dei in Symbolo dicit, *Et incarnatus est*, statim subdit, *Et homo factus est*; & Sancti Patres, licet frequenter vocent hoc mysterium *Incarnationem*, interdum tamen aliis illud nominibus insigniunt; Damascenus enim lib. 1. de fide cap. 3. & lib. 3. cap. 6. ipsum *ἁνθρώπων γεννησιν*, id est inhumanationem, vocat; Hilarius verò in Prologum Psalmorum, *corporationem*, seu *incorporationem* appellat: quæ voce usus est etiam Tertullianus libro de carne Christi, circa principium.

ARTICVLVS II.

Varij Hæreticorum errores, circa Incarnationis mysterium, breviter referuntur, ac refelluntur.

CVM Incarnationis mysterium sit præcipuum nostræ religionis fundamentum, ejusque cognitio, medium ad obtinendum salutem necessarium, ut in Tractatu de fide ostensum est, non mirum, si diabolus, variis Hæreticorum erroribus, ejus veritatem, aut penitus destruere, aut adulterare & corrumpere, vel saltem aliqua ex parte diminuire & obscurare tentaverit. Unde Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 4. *Certum est (inquit) penè omnes heretica pravitate errores, hinc quibusdam multipliciter subrepisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est spiritu, apparuit Angelis, predicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt, aut omnino non credunt; & ille lapis qui ab edificantibus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdam prava credulitatis cœcitate possessis, lapis offensionis & petra scandalis efficitur.*

Hanc errorum contra hujus mysterij veritatem pugnantium multipliciter, eleganter descripsit Leo Papa serm. 8. de Nativitate, his verbis: *Omnium ferè falsa credentium opinionibus, quæ etiam Sancti Spiritus negationem prouunt, retractatis, neminem penè deviasse cognoscimus, nisi qui duarum in Christo naturarum veritatem sub unius persona confessione non credidit. Alij etenim Domino solam humanitatem, alij solam adscribere deitatem. Alij veram quidem in ipso divinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alij professi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei Patris non habuisse naturam, & deitati ejus, quæ erant humana substantia deputantes, majorem sibi Deum, minoremque finxerunt; cum gradus in divinitate esse non possit. Quoniam quidquid Deo minus est, Deus non est. Alij cognoscentes Patris & Filij nullam esse di-*

Ddd ij